Strzez Ioannis: Moeror Europaeus in funere Serenis. Caeciliae Renatae Reginae Poloniarum.

MÆROR
EVROPÆVS
IN FVNERE,
SERENISSIMÆ
CÆCILIÆ RENATÆ
REGINÆ
POLONIARVM.

ILLVSTRISSIMO
AC
REVERENDISSIMO
DOMINO,
D. VENCESLAO
A LESZNO
LESZCZYNSKI,
NOMINATO VARMIENSI,
REFERENDARIO REGNI,
&c. &c.

Domino ac Patrono Obseruantissimo.

G*Rauis dolor doloremque complexæ voces, sunt officij rudimenta mei erga Te Illustrissime ac Reuerendissime Domine. Nostrâ namq; in Patriâ, præsentium rerum & fortunæ facies talis est; quæ & dolere omnes facit, & persuadere dolorem. Ne tamen vsurpare mihi videar partes Orationis apud Te; non à dulci dicendi facundiâ, sed ab insipido mærore ordior; vt singultire magis, quam comptè perorare iudicer. In lucem Tuam, quâ frui posthàc vtinam mihi liceat, more nascentis primùm prodeo cum lachrymis. quod fero lachrmæ sunt: & MÆROR potiùs, quàm Oratio vocari debet. Iniucunda quidem vox plorantium, sed si magnarum iacturam rerum profundo deploret gemitu, habet quidpiam decoris, & saporis. Hinc meo spes est animo oborta singularis; non fore alienas à Tuis oculis has non comptæ dictionis, sed rudium lachrymarum dolorisque mei primitias. Et, si conformari nos tempori oporteat: quando dolenti mærorem, plo-*

ranti

ranti lachrymas; Tibi qui summè causâ Vniuersæ Patriæ doles, dicari volo; actum esse optimè non diffido. Quòd si hæc quæ fero, aliter quàm aut materia, aut maiestas rei, aut expectatio omnium postulet, contexta sint: noxa sit mea, & doloris, Tarda illa, & multis hæsitans Oratio. mea est. Rudes illæ, & incompositæ Orationis, ad deplorandum REGINÆ POLONIARVM obitum, voces. Doloris sunt. Hoc nimirum artificiosè cum luctu semper graui coniungit natura; vt serios inter gemitus, leporis aliquid nec aptè positi elabatur. Tu Illustrissime ac Reuerendissime Domine, conatui protunc meo, ad lætiora sese paranti; quem hoc in communi planctu qualitèrcunq; eluctatus sum, benignè patrocinare. Recipe pro more Patris, cui balbutientis etiam proprij vox est gratissima Filij, infantilem hanc lachrymarum nostrarum teneritudinem. Recipe, & imperitum adhuc dicendi paterno fouere affectu, & complecti, non dedigneris. Suspiciam ego Te magis, ac magis in altiora gradientem honorum fastigia, & meam tantò securius spem in crescenti Tua Fortuna collocabo.

Tuæ Illustrissimæ Celsitudinis

deuotissimus

Cliens

IOANNES STRZÉZ Studiosi. Cracouien.

Alumn. Garuascian.

ORBIS EVROPÆVS in mærorem conceſsit, SENATORES, concedentibus fatis, in Fatum CÆCILIÆ RENATÆ, SERENISSIMÆ POLONIARVM REGINÆ. Quâ in clade, ſi pro maieſtate condignè mærentem, oneroſum; ſi mærori Veſtrûm omnium mederi nitentem Orationis prouinciam ſuſcepero, operoſum erit. Tot inter Oratores, ægrè numerari eum ſentio; qui ſe ab iis, quà dicendi facultate, quà publicorum experientiâ negotiorum, ſentit antecelli. Homo priuatus cum ſim, publicam publici doloris immanitatem; non meæ tenuitatis ac virium eſt prenſare, aut prout meretur, explanare. Quid enim & quomodo, Regales inter Senatorioſq; ſingultus, in communi ſcilicet Reipub. ac Regiæ lugentis planctu, de MAGNÆ ruina REGINÆ dicendũ? Vix equidem ſcio; dolendumne ſit priùs, an perorandum? Grauitatis in perorando, commoditatis in plangendo ſpacium datur: aut plangere ſine peroratione, aut perorare ſine planctu oporteat. Hæreo. hærendum enim eſt, vbi doloris reiq; Maieſtas gradum ſiſtit. Sæpè meroris modum excedentis magnitudo,

delectum Verborum eripit, mihi verò vocem quoque ipſam intercludit. Quippe intelligo, quid & quantum quod à vobis expectatur, ſit; neque ita ipſe mihi placeo; vt non perſpiciā, quod à me præſtari queat. CÆCILIAM RENATAM Vitâ functam, deplorare & laudare ſimul, vix par Oratori. Diceτer enim ſine lachrymis inofficioſus, cum eiulatu immoderatus. Optimatum atq; Senatus Poloni authoritas, lugubri tecta ſyrmate, lugubrem inducit mihi taciturnitatem. Hoſpites ſinus, Auſtria, ac tota penè Germania, Hiſpania, Italia, Gallia; hi quidem hæreditario, illi conſanguinitatis iure lugentes: hoſpitem me meiipſius, dictioniſq; meæ efformant. Atratum hoc feretrum, quod miſerabundi conſpicimus (atq; vtinam conſpexiſſemus nunquam) timori me venundat, & dolori. Videor mihi ſpacioſum adoriri pelagus, ſine remo, ſine rate. Onus rei ex Vrnâ hâc, maieſtatem ex confluxu illo colligite: in hanc lachrymæ cum pietate ſpargendæ, huic compoſitè & ſpecioſè perorandum. Tandem ad Orationis ipſius natiuam venuſtatem, adhibendus dolor. imò in ſquallore hoc Regni, & perorandi venuſtatem, & dicendi exulare debere facundiam intelligo. Hâc in funeſtâ ſorte, ſeu morte potiùs SERENISSIMÆ CÆCILIÆ RENATÆ; verba etiam ipſa, ſuâ vellem denudare gracilitate. SERENISSIMVM atq; INVICTIS. REGEM, Senatum Vniuerſum, Equeſtrem Ordinem, atratâ tectos Veſte cerno; atratum Verborum colorem afferam eſt neceſ-

ſe. Tenebroſæ iſtæ tectorum obſcuritates, & parcè lucem fundentia laquearia; eam mihi demandant Orationis prouinciam. Nihil niſi dolere, & reueteri tutum. Quo proinde in paſſu, perorationis mos eſt mihi vincendus, non natura. Aggredior tamen, vt & morem SERENISS. REGINÆ defunctæ officii tanquā ſubditus conciuiſq;, & naturæ ad plangendum tanquam debitor geram. Fundamus lachrymas: atq; adeò exeſis palpebris erumpat mæſtæ fons ſcaturiginis. Quid ita? Patere infeſte Dolor loqui. CÆCILIA RENATA SERENISS. æque ac Religioſiſsima REGINA POLONIARVM ad Quintum Calend. April. eſt ſublata. Scilicet AVSTRIACO illa feliciſsimè correſpondit & Nomini, & Sanguini. Hinc quemadmodum exardeſcebat natiuo quodam contra diſsidentes odio, ita rectè ſentientes coluit, & proſecuta eſt ſemper. Magna eſt Religionis vis & integritas; quâ mortalium efformatur, & ad immortalitatem matureſcit animus. Nec ſatis. Mortalia prenſantem, ad immortalem diſponit contēplationem. Proindè non miror quod SERENISS. RENATA diuitias prorſus non amauit, cum haberet, nec in animum illas, ſed in vſum recepit. Non reſpuit poſſeſſas, ſed largita eſt; hinc maiorem pietati Suæ memoriam ſubminiſtrans. Fortunam nec venientem ſenſit, nec recedentem: imò totum Fortunæ Regnum deſpexit. Sic vixit quaſi ſciret alijs ſe natam: naturæ debitum ſolui, DEO commodatū reſtitui. Vniuerſo ſpectante Regno fieri credidit, quidquid ſolâ Conſciētiâ actum. Præſidem ſemper DEVM ſupra citraque

ſe ſtare, factorum dictorumq; Cenſorem, rata. Nullius per Eam libertas diminuta, multorum aucta, plurium reſtituta. Vnicuiq; Clementiſsima REGINA diuiſit Clementiæ Suæ partem, & fortiùs laborantibus opem multò propenſiùs; ne penuriā aut Fortunæ aduerſæ vim Regiâ liberalitate maiorem ſentirent, ſuppeditauit. Si largita quidpiam eſt, largiri ſe negabat: vt præſtaret beneficium, ſimul & officium. Si plura erogauit egentiori, Regium: ſi minora potentiori, æquum iudicauit. Nunquam Illi multùm fuit, quod dignus accepit; ſemper parum quod egenus. Nihil magis poſsidere ſe credidit, quàm benè donata: non numero ſed pondere beneficij, nec vllâ niſi accipientis æſtimatione, penſauit. Sic amicos liberalitate; inimicos, ſi quos vnquam reperiri vidiſtis, miſericordiâ conciliauit. Virtutum nexum fecit: vt quaſi ſibi inuicem concatenatæ omnes, aliæ aliarum veſtigiis inhærere viderentur. His & Prudentia implexa, magnum Immortalitati in CÆCILIA reliquit monimentum. Rectè exiſtimabant Ægyptij, ad cacumen Sceptri Regij adſciſci oculum. Particeps Sceptri Sereniss. REGINA Prudentiam accerſiuit vt oculum. Prudentia enim tantò cæteris Virtutibus antecellit; quantò cæteris ſenſibus præſtaret viſus. Sereniss. CÆCILIAE Prudentiam quicunq; ſpectauit, Numinis adinſtar honorauit. Etenim Illa, ſi quid priuatum geſsit prudenter; ſi quid Regium, prudentiſſimè. Res in gerendo ſui ſeipſas præcurrebant ad Prudentiam: ſi quid in honore ageret; Honori, Grauitas

inuide-

inuidebat. Et factum: vt omnes dotaret Virtutes solâ Prudentiâ. Seminarium Virtutum, & Prudentiæ Patientia, incussit segetem in SERENISS. vt fructum capesseret, & capessiuit. Reginam & Regni, & sui vidit. Lentos quoq; natura & placidos ad impatientiã vrget: hic natura victa, non vicit. Nauauit RENATA nostra operam, ne videret omnia, vt audiret; at cum aliquando: quod mirandum vobis est, laudari se à quopiam, aut optimis extolli votis audiuit, eam patientis Modestiæ præfetulit vim, vt lædi se putaret, cum laudaretur. Nullam vnquam iniuriam perpessa, preter eam; quòd laudem sui esse iniuriam iudicaret. Patientia cum in aduersis locum non inueniret, in prosperis hîc inuenit. Hæc nempè, tecta quæcunq; attigerit, trãquilla & felicia præstabit: at in Regijs, quò rarior, eò mirabilior. Instituit SERENISS. amicis iucundã, hospitibus mitem & facilem, vtriq; admirandam. Exorabatur antequam orabatur, honestis præcibus occurrit. Suauis semper, vix irata aliquando leuitèr, grauitèr nunquam. Non Illa naturæ adacta, sed Illi natura, obtemperare. Imperuium Iræ, Impatientiæq; animum fecit. Nullus id vnquam deprehendit in CÆCILIA Nostrâ, cui aut inuideret, aut quod saltèm ægrè ferret. Nihil vitiosum; omnia Virtute plena. Artem primam Regij animi esse, posse inuidiam pati; si aliquando accidisset, didicit. Porro laudatores, & sui encomiastas; aut taciturnitate, aut dissimulatione præuidit compescuisse tutiùs. Et hâc profectò arte fecit, vt amicos omnes, inimicum viderit nullum. Quid hic ego dicam de

 Ea qua

Ea quâ fuit animi moderatione CÆCILIA. Superbis inter calentes dapibus menſas, non luxum, ſed Regium dignata eſt ſplendorem. Venationis ſtudio capiebatur, non delectatione, ſed fatigatione eludens otium. Quorum copia erat cum modeſtiâ; quorum abundantia, cum delectu vtebatur: quorum vtrumq; cum pietate. Hinc educata virtutibus adoleuit Conſtantia, firmataq;ue ſenſim, reliquam vitæ occupauit partem. Vt iam deceſſuram ſe, id eſt properaturam ad hunc finem, ad quem quæ feliciora mortalitate ſunt properant, minimè formidaret. Sæpe illi in animo, tùm in ore: illæ conſtantis animi voces. Hinc omnis iſta ad diademata, ad faſces, ad togam, ad purpuram compoſita turba, pari vadet gradu. Et qui honorant, & qui honorantur; vnus omnes æquabit cinis. Res magni momenti concidunt, quidni homo? Imbecillum corpus, fragile & nudum, ſuaptè naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam proiectum, lineamentis externis nitidum, infirmis fluidiſq; contextum; frigoris, æſtus, laboris impatiens, ipſo rursùm ſitu ac otio iturum in tabem: alimenta metuens ſua, quorũ modò inopiâ, modò copiâ rumpitur. Quocunq; ſe mouet, infirmitatis ſuæ conſcius eſt. Si terram, humoribus craſsiſq; aquarum nouitatibus: ſi cœlum intuetur; tempeſtuoſis incommoditatibus, inſidiari ſibi, ſuſpicatur. Et veluti ſpeculo, vt perſpiciatur opponimus corpus. SERENNISS. CÆCILIA caducæ motalitati, fortem oppoſuit animum; vt eam perſpiceret. Apparet vtiq; quotquot naſcimur aut viuimus, nulli conti-

giſſe

gisse impunè nasci. CÆCILIA RENATA multùm vixisse; si satis vixisset, intellexit. At parùm vixisse, si benè, satis est. Non diu fuisse, sed diu vixisse RENATAM vidimus. Forti despiciebat animo, & mortis terrorem, & naturæ fragilitatem: fragilitati immortalitatem, terrori securitatem conscientiæ, magno opponebat animo. Agebat in caducis tanquam non caduca; in mortalibus tanquam supera. Quidquid de Fortitudine dici, aut in Fortitudine agi potest: CÆCILIA RENATA omne tulit. Contemptũ mortis hausit à Fortitudine: contempsit verò ita, vt non timore nos, aut iniuriâ per mortem, sed beneficio repleri, suo in exemplo expediret. Viuentem non iniuriari à morte, sed è tædio euolui vitæ. Hæc quæ videmus ossa, circumuoluta neruis, & obductam cutem, vultumq; & ministras manus; & plura quibus inuoluimur, vincula animi tenebrasq; esse. Talis contemptus mortis, produxit Regalem in REGINA, suiipsius cognitionem. Illam ego hàc ætate rarò occurrentem præmediatè prætereo: rerum, negotiorum, publicorum munerum, linguarum plurimarum; muliebrem super imbecillitatem admirabilem cognitionem. Sublimiorem peto. Id cogitare, vt cognosceret seipsam SERENISS. REGINAE cognitio fuit exccellentisſima. Seipsam cum cognouisset, cognouit omnia. Cognoscere solùm alios non se, solenne est Principibus: at & se; & alios rarum. Tale erat Comitatis officium in SERENISS. vt per eam alios cognosceret, se per Virtutem. Nouistis imò sensistis, quo vultu; id est hilari, humano, affabili

 se acce-

ſe accedẽtes SERENISS. excipiebat. Meminiſtis : (imò meminiſſe eſt refricare dolorem vobis & lachrymas,) Vrbanitatem illam, decenti gemmatam humanitate. Propenſa ad quenquam, nulli importuna, in comitatem effuſa, affabilis cuiq;, & acceptata. Tecta ipſa, & parietes teſtor, Illius plenos Humanitatis. Teſtes mihi animi oculiq; Veſtri toties ſpectatores. Compenſauiſti, imò antecefsiſti ætatum Amores, in amore. REGINA amans Nationis Lechiacæ, ſublata ! ſed dolor loquitur, non Oratio. Parcite tamẽ, SENATORES, affectui meo : non meus eſt : aſt Amoris. Scio Senatorij Ordinis Virum, ætate, & experientiâ grauem; dignum ſe iudicium tuliſſe. Nimirum, vix indicaſſe nobis ad hæc vſq; tempora noſtra; Chronica Polonorum, Reginam parem CÆCILIÆ : vt à DEO maieſtatem illam, quâ æquaret ELIZABETHAS, ANNAS, CONSTANTIAS, Poloniæ donatam, videri meritò poſſet. Ori, vultui, fronti, inſita diuinitùs fructificauit Authoritas. Sanè ſi vetus illa Deorum, Dearumq; ſtetiſſet fabricatrix antiquitas : CÆCILIAM RENATAM, in Dearum numero locauiſſet. Regnare hîc viſa Authoritas cum maieſtate. Talis morum candor, integritatiſq; ſpecimen; quod quidem demortuo corpore animis noſtrûm omnium nunquam emorietur, viſebatur. Hæret non mortua, nec moritura vnquam noſtro pectori Effiges CÆCILIAE RENATAE, REGINAE POLONIARVM. Sibi & Poloniæ vixit, ſibi ad Immortalitatem, Poloniæ ad annoſam mortua, recordationem. Quidquid mortalitatis, ad immortalem habuit, tranſ-

portauit

portauit. Mors Illius lachrymas imbecillitati humanæ præparauit; non intellectui. Quam facultatem hoc in integumẽto humanæ sortis habuit vitæ, deperdidit: non vitam. Fragilitatem naturæ imbecillis elusit, non occasum. Soluit mundanæ vicissitudini debitum, quod non aliter restitui poterat, quàm vt solueretur restituendo. Irreticulatam vitæ vanitatem, non vanâ expunxit soliditate. Id egit, vt falacia vitalis æui irretimenta, non irritamentis insecuræ voluptatis clauderet: sed liberæ traderet immunitati. Fallaces elusit horas mortua, ab ijs ne eludetur viuens. Insidiosa mentientis vitæ blandimenta; beatæ, qualis non fallit, mortis ministerio, præoccupauit. Toto in vitæ gressu fallacias deprehendit, ne deprehenderetur: insidias labefecit, ne labefieret. Nihil autem est tam fallax quàm vita humana; nihil tàm insidiosum. Si virtute non vincitur, vincit illecebrâ. Fortis & strenua SERENISS. quæ ipsam Hostis sui victoriam vicit. Ludimus in mortalitate hâc, cum viuimus: partim victores, victi partim. Ludere RENATÆ fuit, cum viueret; vt eluderet, ludicras mortis versutias; & elusit. Quidni enim eluderet? Viuere totâ vitâ discebat: at quod mirabere fortassis, discebat totâ vitâ mori. Cum sensim vitæ officijs renunciare cepisset per morbum, sæpiùs hoc vsque in extremam ætatem egit: vt viuere sciret, mori magis. Vtrumq; & vivere ad exemplum, & mori ad beatitudinem. Cum ista perspexerit, sciuit optimè cum his agi, quos natura,

quia illos hoc manebat vitæ ſtipendium, citò in tutum recepit. Semper felix, & ſine morſu animi pertraſiuit vitam: hinc videbatur partem alteram rerum naturæ contemnere. Non fecit breuem vitam, cum accepit; ita non prodiga; ſed indiga vitæ. Nihil ex ſuo tempore, quod ſuper humanos errores eminentis animi eſt, deperdidit. Vtebatur parcè, quaſi non gratuitum putaret. Sciebat id debere ſeruari diligentiùs, quod neſcitur quando deficit. Quemadmodum ex torrente rapido, nec ſemper caſuro, cito hauriendum eſt: ſic Illa in celeritate temporis, velocitate vitæ vſa, & probe eſt. Sentiebat eam accedere quotidiè, & minui. Longa vita eſt; cui quantumcunque patuit, vacatum eſt. Vixit præſentibus læta, futuri ſecura. Vixit non popularis auræ arbitrio, vel deſiderio: ſed plùs ſemper admirationi. Vitam aucupata rectam & beatam, vt rectè ſe viuere intelligeret, & beatè. Nam non eſt beatus, qui ſe non putat eſſe. Tantâ Regnorum opulentiâ contenta non fuit, ſeipsâ contenta tantùm. Cum & ſeipsâ Virtutes, & virtutibus ſeipſam bearet. Fortunam comitem, non Dominam habuit: illi Domina, nunquam ſubdita. Intellexit poſſe auelli, quod fortuna, ceu in pignus fidit; at ſibi non poſſe, cui vincta fuit. Stitit Fortunæ rotam volubilem; vt qui per eam in altum ſcanderet; erexit; qui in imum, detinuit. Subdolam detexit cæcitatem, abreptâ illi impedienti vittâ: pleno ſe coëgit intueri lumine. Vidit pectus Fortunæ

fortè

ſorte, & diffiſa primùm muliebri : poſthàc experta; credidit. Et factum, vt cum REGINAM ſibi vicariam inſtituiſſet; recollectis compactiſque Viribus, Fortunæ ipſius comtempſit vires. Vitam SERENISSIMA CÆCILIA ſic perfecit ad exemplar, non fecit; vt eſſet tantùm. Si virtutes Animi ſpectes nullibi nobiliores; ſi extra animum nullibi excellentiores. Exiguo in tempore vixit multùm, ita cum vixiſſet, abſoluta omni virtutum genere. Qualiter ſtatuarius, non primùm abſolui opus credit, diſtinctis donec artubus perfectum, conſumatumque formet. Quid vltra Regalis huius mentis immortales euoluam operas. Plus dicere non vacat; præterquam, cum eſſet REGINA Imperatorum, Regum, Monarcharumq; ſanguine progenerata: hominem ſe fuiſſe meminiſſet. Nimia magnitudo eſt ſuam intelligere paruitatem. Perſtrinxit RENATA Noſtra, in humanâ, humanam conditionem ſorte. Nudi ad vagitum ſtatum & ploratum naſcimur; vt nullum animal aliud, pronius ad lachrymas. Nullus cum naſcitur, intelligit ſe ad imperandum naſci. Vnus introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. Et hæc eſt Iconographia SERENISSIMÆ CÆCILIÆ RENATÆ REGINÆ POLONIARVM oculis veſtris à me præſtita, ex ijſdem mox lachrymas expreſſura. Quidquid virtuti intra animum patuit, pro mediocritate dicendi, complanatum: extra ſi Fortunæ dotes, aut bona deſideretis, de ijs non eſſe neceſſe intelligo mul-

tis apud vos perorate. Plenis illa aut oculis, aut haustis Historijs. Genus prætereo. Genus non solùm toti Europæ; sed barbaris quà Orientem, quà Occidentem spectantibus, solenne. Mitto Austriam, quâ nata in DOMO: nido CÆSARES, REGES, IMPERATORES, MONARCHAS, DVCES, educante. Pietatis (Domus illa) meditullium; religionis gazophilaceum: quæ à religione, ergà misticam Sacratissimi CORPORIS misteriosissimique Eucharistiam, fastigia honorum, Imperatoriamq; isthàc Sedem, auspicaretur. FERDINANDO SECVNDO satam Genitore, sanctimoniâ vitæ sæculum superæquante hodiernum, non recenseo. FERDINANDI TERTII, alterius IMPERATORIS SEMPER AVGVSTI, germanam: PHILIPPO Hispaniarum REGI, SERENISS. Galliarum REGINÆ Sororem, Magno DVCI Etruriæ, & Parmensi, sanguine copulatam affini, non fastuosè reuoco. Illustrissimas SORORES, Illustri REGVM & Principum Thoro iunctas; sileo. Europam penè Vniuersam, Generi nexam coniunctamque CÆCILIÆ, quid strepo? Plena his capacia Historiarum volumina perspexistis, & perspicietis. Natalem retexite prodigiosam. Diem illam pullulaturæ pietatis, virtutumque præsagam. SERENISSIMA CÆCILIA vix nata menses aliquot, vitæ in ipsius primordijs, vitâ exuta præproperè. Sensit insidiantis lethi technas, adhuc Infans, non superatura. Personat horrendo lu-

ctu Re-

ctu Regia: Amantiſsimæ Principis immaturus mortis caſus, mulco Aulæ Imperatoriæ eiulatu reſarcitur. Imperatricis materna præcordia, tacito edit dolor inteſtinus morſu. Vndique mæror, & vndique planctus. Nec multùm Mors hoc læta triumphali, (DOMO in Imperatoriâ) exuuio reponendo adigitur. Repugnans inſolentèr, formidandâ vrſa Tonantis manu, infantiles illas in triduo reponit manubias; Vitam & Animū CÆCILIÆ. Hem prodigioſam rem! Futuræ indicia virtutis. hem ſæculo, multoque antè paſſu inaudita! Diſcis feſtinantèr vincere, expers rationis & virium. Impar congreſſu, validiori puſilla hoſti, concurrere non formidas, ſatis laudabiliter vincis, Qvæ properè vincis. Nata, at breuibus Mortua; iterū viuens, retrogradā repetis vitam, RENATÆ ſortita Nomen. Res inaudita vnquam, SENATORES, Infans tenera vicit mortem; cuius minaces enſes, & ferrata exercituum millena ſubſternuntur poteſtati. Et mortem & mortalitatem vincere arduum, vtrumque vicit. Felices inter RENATA felix, prodigiis inhoatam, Virtutum omni conſumatam perfectione cucuriſti vitam. Viſis Sanctitatis emerſuræ ſcintillis Sator TVVS ardentiſsimus ſanctitatis amator: quas Ille interea prodigioſo ex euentu voluebat animo voluptates, vobis vt cogitetis, relinquo. Spem altâ in mente repoſuit, & aluit: adeò, vt ſuperuiuens non multò; principia Ipſe; exitum nobis ſpectandum, ſuſpiciendumque propoſuerit emanaturæ ſanctitatis. Vidimus. vidit Europa

Omnis. Spectauit Christiani & Orthodoxi Nominis Cœtus, spem illam præuisam à D. FERDINANDO, in magnas educatam virtutum opes. Felicem Te Polone memorem, qui non solum sub teteritudinem Regni Tui, iactare prodigia in PIASTO, MIECISLAO, & CASIMIRO PRIMO, plurimisque Monarchis ac Regibus morem hausisti: sed sub maturitatem etiam, in Reginis liberè audes. Hæc quantò auidiùs pectore voluetis reuoluetisque: tantò onustior accrescit lachryma, integumentum hoc super sepulchrale casura. Ea porrò, quæ mei tenuitatem ingenij excedebant, nec à me Vobis præstita sunt: Vos qui multarum hîc conscij virtutum adestis, intimiùs animo penetrate. Qui spectatores quotidiani fuistis: ijs ea non oportere aperiri, animaduerto. Quanquam, & dolori Vestrûm hâc in parte parcam. Etenim quot Virtutes, tot deploraretis necesse foret Reginas; si omnes ordinatè recēserem. Satiùs ad partiendas secedā lachrymas, ipse lachrymabundus. In Supremâ SERENISSIMæ CÆCILIÆ POLONIARVM REGINÆ, ex hâc vitâ discessione, habent Vniuersi quod doleant. Habes INVICTISSIME REX VLADISLAE, participem Sceptri Thoriq; CONSORTEM sublatā, cur merito doleas? De Maiestate Tua remittere aliquid iubet luctus. nimirùm grauissimo telo, Fatum, apicem Tui Sceptri tentauit; & ne Tui florentissimus cursus Regni continuò floreret; subitâ mortis procellâ inuadit. Renatam quippè Poloniarum Regnis digni-

tatem æternam timuit; ſed perennauit in Te SERENISSIME PRINCEPS SIGISMVNDE CASIMIRE; cui mæror SERENISSIMÆ PARENTIS lugubrem nuncium, in primo flore ætatis fecit. Neſcio quo tecum luſit omine Fortuna. quod lucere ceperis dum extinguitur Mater: veluti radios ſponte ſuos in TE Vnum deriuari voluerit, quibus mundum, è Sarmatico Orbe illuſtres. Quid verò FERDINANDE Imperator ſemper AVGVSTE? An non iuſtam mæroris partem ad Martias belli ſollicitudines accedentem habes, habebiſq; ex cōiūctiſsimæ Sororis triſti occaſu memoris animi reuolutionem. Vos etiam Chriſtianiſsimi. Te REX Hiſpaniarum MAXIME: Te REGINA Galliarum, luctus iſte vocat. Affectus ille conſanguineusq; Amor CÆCILIÆ, ſæpè Vobis Veſtrarum in felicitatum Serenitates, triſtem incutiet dolorem. Sed nemo maiores ex SERENISS. CÆCILIÆ RENATÆ obitu accepit curas, quàm Polonia: vt in nomen RENATÆ, renaſci illas toties eſt, futurumque ſit neceſſe. Nam; ſi æſtimatam toti mundo iacturam Regnum noſtrum ſubijt, quis Ordinum ſtatus eſt, qui tantum Patriæ detrimentum non lugeat. Inclinaret ſe profectò tam inſolito mærore Reſpub. grauata: ſed in Tuâ Dextrâ SERENISSIME VLADISLAE eſt poſita, in quâ erecto vultu Nationum Gentiumq; omnium obtutibus, ſuas detergendi causâ lachrymas exhibet. Nimirum viuit nobiſcum SERENISSIMÆ REGINÆ vita, in Te vno, SERE-

NISSIMOQVE Tuo FILIO ſpiritum reliquit: nec omnis eius ſtudij, in noſtram Patriam affectus, ex moriente expirauit, quæ ſui dimidium in eâ depoſuit. Et, ſi perpetui Amoris teſtimonium eſt, nunquam amicorum memorem animum deponere: cùm æternùm benè volendo noſtræ Patriæ, per humanæ ſortis fortunam viuere nobiſcum Ei non liceret; vt perpetuò amaret Regnum REGINA, in eo animi domicilium, ſuique in Ciues amoris obſidem linquit partem

MORTALIS CORPORIS

EXVVIAS.

CRACOVIAE,

In Officina Typographica STANISLAI BERTVTOVIC,

Anno Domini, 1644.